



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,  
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola  
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas  
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

**Melanchthon, Philipp**

**1559**

**VD16 M 3567**

Oratio de linguarum studijs, & utilitatibus, nempe Latina, Græca, & Hebraica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34734**

ritate habuisse, quam si quis contemnit, is fiat  
 Deus ultorem huius contumeliae fore. Ac Deo  
 ornauit etiam priuilegijs hæc nostra studia et  
 noribus, quos nunc his iuuenibus libenter deo-  
 nemus, quia singularem laudem hoc tempore in  
 tanta peruersitate iudiciorum merentur ipsi,  
 qui hæc communia Philosophiæ studia  
 attigerunt. Dixi.

ORATIO VITI THEODORI  
 Noribergensis, de Studio Linguarum,  
 habita in promotione Magistro-  
 rum, Anno  
 M. D. XXXIII.



**P**incipio uobis gratias ago  
 doctissimi uiri, quod hoc  
 honoris nostri causa, et  
 hæc primarum artium studio  
 ornaretis, conuenistis. Cum  
 autem existimem id uestrum  
 officiū ad studiorum bonum  
 pertinere, spero uos ita induxisse animum, hoc  
 am beneficium nobis dandum esse, ut nos non gra-  
 uatim audiat. Neque enim huc prodimus, ut digni  
 aliquid uestra sapientia atque autoritate affere-  
 mus, quod in huius nostræ ætatis imbecillitate  
 quidam

quidem requirendum est. Tota hæc fabula agitur adolescentum causa, ad quam uos acceditis spectatores, ut intelligat iuuentus, uobis hæc prima studia probari. Quanquam igitur in omni genere humanitas uestra nobis cognita & perspecta est, tamen id quoque nostri est officij, uerecundè petere, ut nos equo animo audiatis. Quare rogo, & ut hanc meam iuuenilem orationem boni consulatis, et ut uestra mihi auctoritas adsit in hac causa, quã agendam suscepi, quã spero uobis esse probatissimã.

Institui enim de studio linguarum, ut uocant, dice Studium linguarum. re. Et si enim plerumque hic de Philosophia dici solet, tamen neque hic locus de linguis, si quis rectè estimet, à Philosophia ualde alienus est. Mihi quidem ea Philosophia pars, quæ est suauissima, præcipue ex cognitione linguarum pèdere uidetur. Neque uerò hoc argumentum studio nouitatis delegi. Neque enim statui me nouo argumento in hac infantia satisfacere posse. Sed publica necessitas hortatur, non solum me, uerum omnes bonos uiros, quantum pro se quisque potest, adolescentiã ad studia linguarum exuscitare, atque accèdere. Maxime uerò conueniebat ad linguarum causam agendam adhiberi non elinguem, sed eloquentem patronum, qui ornare eas pro dignitate, & magnitudine utilitatum, quas parit earum cognitio, illustrare posset.

m v Quod

Quod etsi intelligebam à me non posse fieri, me  
 men arbitrabar me non debere publica causa  
 esse, presertim in hoc loco, quo cum mihi dicentium  
 necessitatem scholasticus Magistratus impone-  
 ret, sperabam tantum authoritatis in hac oratio-  
 ne futurum esse, quantum tribuitis uniuersae  
 legio doctissimorum hominum, qui & his mihi  
 partes mandarunt, & suam sententiam mea quae-  
 cunq; oratione uobis exponi uoluerunt. Quorum  
 doctrina, iudicio, rerum usu excellant, deniq; cum  
 fide summa & uestris studijs, & uniuersae Re-  
 pub. consuetum uelint, honestissimum uobis  
 monitis eorum libenter & studiose parere.

Sed uenio ad causam, de qua, quia etiam pro-  
 pter temporis angustiam non satis dici potest, ut  
 uiter utilitates praecipuas colligam, quae nos  
 omnes ad linguarum studium hortantur: loquor  
 tem de Latina, Graeca, & Hebraica.

Cum autem aliud alijs propositum in studijs habe-  
 ant, nec idem doctrinae genus sequatur omnes,  
 singulis, ut uocant, professionibus ordine dico-  
 dum est. Ac primum non opinor longa mihi dis-  
 tatione opus esse de Theologia: Constat enim  
 fontes Theologiae Ebraicis, & Graecis literis con-  
 neri. Nec possunt ita transfundi linguae, ut  
 opus sit fontibus, si uelimus iudicare de locis  
 sacris

Fontes Theo-  
 logiae in Ebrai-  
 cis & Graecis  
 literis.

leuris, quod in multis grauissimis controuersijs si-  
 eri necesse est. Toties commendat nobis ipsa scri-  
 ptura ministeriū uerbi, admonet nusquā uolunta-  
 tē dei cerni, nisi in his scriptis: Facile igitur intel-  
 ligi potest, quantū referat perfecte intelligere na-  
 turā sermonis, quod sine linguarū cognitione, &  
 sine eloquētiæ exercitationibus, nemo cōsequi po-  
 test. Itaq; cum suæ quisq; salutis causa, tum etiam  
 propter publicam Ecclesiæ necessitatē perfectam  
 sacri sermonis cognitionem expetere debet. Pri-  
 mum enim priuatim quoq; experimur mirificē  
 confirmare animos, cum in tanta uarietate opini-  
 onum quasi in rem præsentem deducimur, inspici-  
 entes genuinum scripturæ sermonem. Deinde de  
 magnis ac difficilibus controuersijs publicē in Ec-  
 clesia pronuntiare bona conscientia uix possunt  
 doctores, si genus sermonis in testimonijs, ex quib-  
 us tota res iudicanda est, nō intelligant. Multas  
 hereses peperit inscitia linguarum et figurarum  
 orationis, id quod facile potest ostendi in ipsis hi-  
 storijs contentionum Ecclesiasticarū. Et quamuis  
 nō sunt in hoc omnia, tamē in interpretatione sa-  
 crarum literarum hoc primum est, ut sermonis ge-  
 nus intelligatur, quo intellecto, multa iudicari  
 possunt, quorum pleraq; etiam hoc tempore con-  
 trouertuntur. Quare non dubium est, quin ad  
 Theolo-

Hæreses ex lin-  
 guarum insci-  
 tia.

Theologiam necessaria sit linguarum cognitio.  
 Neque uos ab hac scientia deterreat indocti homines, qui ut soli sapere uideantur, non solum hanc linguarum studia damnant, sed omnes bonas artes insensibiliter oderunt. Ac si res testibus iudicanda est, opponite illis Hieronymi, Augustini, et multorum exempla, tum sententias, qui censuerunt ad enarrandas sacras literas, necessariam esse linguarum cognitionem. Quid quod ita Deus ipse habet

**Donum lingua  
eum.**

cat, qui cum Euangelio linguarum donum largiens, testatur Ecclesie linguarum cognitionem necessariam esse. Profecto enim contumeliose de diuino munere sentit, si quis existimat nullum in Ecclesia usum esse. Et si istos nihil haec testimonia mouent, Canones saltem audiant, quorum auctoritas eorum sacrosancta est. Extant decreta de his, qui, extant et constitutiones in Synodis factae, quae celeberrimis Academicis de docendis linguis praecipiant. Cur haec magna auctoritate constituit Synodus, si id studium Ecclesie non est utile.

**Gregorius Tifernates.**

Audiui Gregorium Tifernaten ante annos sexaginta uenisse Parrhisios, et a Senatu Academiae stipendium postulasse, quod ibi Graecae literae docere constitueret. Cum nonnullis inciviliter facere uideretur, quod stipendium flagitare ausus esset, cum Senatus Academiae neque accessisset eum.

neq; significasset se ipſius uſuram opera, neq; o-  
 minino lectorem Græcum haberet ullum: Erant e-  
 nim adhuc in Gallia, ut apud nos, Græca litera  
 ignotiſſime. Quare cū interrogaretur, quod hoc  
 regnum eſſet, Senatui Academiæ quaſi imperare  
 ſpēndium, hic homo paratus citauit conſtitutio-  
 nem de linguarum ſtudijs, in qua nominatim men-  
 tio fit ſcholæ Parrhiſienſis. Senatū adeò nō of-  
 fradit hæc libertas, ut etiā magnopere collaudaue-  
 rit hominis conſilium et ſtudium: ſpēndium ma-  
 guo cōſenſu decretum eſt. Neq; uero id facturū  
 erat Senatus Parrhiſienſis, ſi cōſtitutionem illam  
 Pontificiam non probaſſet, aut hoc ſtudium indi-  
 caſſet Eccleſiæ inutile eſſe. Sed de ſino hac de re  
 longus diſputare, cum Erasmus iuſtis uolumini-  
 bus oſtendat, linguarum cognitionem ad ſacrarū  
 literarum interpretationē neceſſariā eſſe. Et me-  
 miniſtis, hoc ipſo in loco non ſolum hortari uos,  
 ſed etiam ſeuerē caſtigare inertiam, atq; ignauiam  
 noſtram, D. Doctorem Martinum. Si tantum hu-  
 ius iudicio tribueretis, quantum ipſius & excelsus  
 doctrina, & uſus poſtulat, proſectò multò  
 cūctius & peregrinas linguas diſceretis, & mul-  
 to plus operæ collocaretis in hæc eloquentiæ ſtu-  
 dia. Sed quia Theologia nunc in odio eſt, iuuen-  
 tus ubiq; cum ſacris literis abiicit linguarum &  
 eloquen-

Conſtitutio de  
 ſtudijs linguarum.

Erasmus.

D. Martinus.

eloquentie studium, et eas artes amplectitur, ut  
uulgò uendibiliores, & magis quæstuosæ sunt.

Neq; uerò uitupero alias artes. Nam Religio  
habet opus magna uarietate artium, quemadmo-  
dum uerè dictum est: Non fit ciuitas ex Medico et  
Medico, sed ex Medico et agricola. Sed illi repre-  
hendendi sunt, qui aut abducunt omnes à sacris li-  
teris, aut cū se dediderunt alijs artibus, nulli spe-  
dij partē in sacris literis collocandā esse cogitant,  
et ut uideo, nos irrident omnes, atq; etiā insu-  
perant, qui non in totū abstinemus à sacris literis.

Sed de his nihil hoc loco dicemus, qui cū ad-  
uersus Deum impij sunt, tum in ecclesiā crudeles, quod  
quantum in ipsis est, uniuersam religionem ab-  
olunt: Cum alijs moderatioribus disputabo.

Doctrina reli-  
gionis ad om-  
nes pertinet.

Primum ita cogitare uelim bonos adole-  
scentes, ut religionis doctrinā ad omnes pertinere. Et quæ-  
dam admodum ille dixit: Homines nō solūm sibi, sed  
et patriæ nasci. Ita ego multò uerius dicere pos-  
sum, omnes bonos ita sentire oportere, præcipue  
natos se esse Ecclesiæ. Itaq; etiamsi quæ rationes  
probabiles uocāt nos ad alias artes, nō enim  
despiciendo eas, tamē doctrina Christiana nō est negligenda.  
Aliquid tēporis ac studij huic quoq; tribu-  
endum, tum ad animos nostros cōfirmandos, tum  
uero ut præparemus nos ad publicā ecclesiā ad-  
ministrandam.



statem. Fuit in foro, in iudicijs Ambrosius, inter  
rim tamen & sacras literas legebat, & Græcis  
Theologos cum Latinis coniungebat.

Deinde linguarum cognitio non tantum Theo-  
logis prodest, habet egregias utilitates etiam in  
alijs artibus, quod quomodo uelim intelligi, quæ-  
so attendite, ne quis putet me detrahere aliquid de  
aliarum professionum dignitate. Sic enim statuo,  
hos, qui ad Medicinam aut Iuris doctrinam ac-  
cesserunt, præformandos esse quadam liberali  
doctrina, quæ & Philosophiam, & antiquitatis  
noticiam continet. Adhibenda est etiam dicendi  
exercitatio, quibus rebus ingenia & ad suauita-  
tem atq; humanitatem formantur, & acuantur,  
atq; instruuntur, ut percipere & tractare artes  
alias scelicius possint.

Si quis autem existimat Philosophiã perfectè  
cognosci posse sine Græcis literis, hunc sanè pati  
Philosophia sine græcis literis  
sua opinione beatũ esse. Sed res loquitur ipsa,  
quantũ interfit inter Aristotelis interpretes gra-  
cè doctos, et illos ineptos, qui cũ res grauissimas  
ab ipsis autoribus traditas explicare nõ possent,  
nouum quoddam doctrinae genus pepererunt, pluri-  
mum prodigiosis somnijs, quod nullum in uita  
aut communibus negocijs usum habet. Deina-  
de iniuriam Philosophiæ facit, quisquis eam  
tam

tam angustis finibus circumscribit, ut nihil elibuat, nisi illa uulgaria præcepta, quæ in scholis ex Aristotele traduntur. Ego uerò ut iam non tantam de Mathematicis disciplinis, cognitione antiquitatis, poëmatum, et historiarum, uel præcipuam partem Philosophiæ esse statuo. Hæc enim continent humanitatis doctrinam, cum proponat omnium officiorum præcepta atq; exempla.

Nihil accidere potest in uita priuata, aut in publica, cuius non extet imago aliqua in historijs præsentissimè scriptis. Plurimum autem, meo iudicio, prodest accessuro ad res magnas gerendas, intueri in illas imagines uelut in speculū, et uidere consilia, ac bonorum et malorum consiliorum euentus. Præterea multa sunt in ipsis negotijs tum prophetiis, tum Ecclesiasticis, quæ sine antiquitatis cognitione neque intelligi, neque iudicari possunt. Quoties de imperiorum mutationibus dicendum est? quoties in Ecclesia requirendæ sunt ueterum constitutiones de rebus maximis? Hæc sine Græcis Latinis literis nullo modo cognosci possunt. Et quidem Ecclesiasticæ res tantum Græcè scriptæ sunt. Cæterum uarietate et copia rerum atq; exemplorum, longè uincunt Latinos, tum Poëtarum, tum Historici Græci. Nam Romani domesticas res tantum ornare studuerunt: at Græci omnium

Græci uincunt  
Latinos.

gentium atque Imperiorum historias complexi sunt, easq; ita descriperunt, ut uerius philosophetur in ipsorum negotiorum atq; consiliorum expositione, quam illi qui in scholis nuda præcepta tradunt, ac uerè Philosophiam ex umbra ac puluere in solem educunt, hoc est, usum eius in uitâ atq; negotijs ostendunt.

Hec doctrina etiam si tantum propter suauitatem expetenda esset, tamen satis magna causa esset, cur græcè disceremus. Quæ enim potest esse uoluptas magis digna præstâibus ingenijs, quam ea, quæ percipitur ex illa ipsa cognitione maximarum rerû? Et quoniam uoluptates ipsæ aliquo modo ad mores pertinent, traduci ad humanitatē et suauitatem hac delectatione animos arbitror.

At uerò nos non tantum de uoluptate disputamus, de fructu ac necessitate loquimur, quia sine hac liberali doctrinâ, quæ præcipuè græcis literis continetur, nemo satis idoneus est uel ad cæteras artes tractandas, uel ad res magnas gerendas. Nō sunt in hoc omnia. Sed tamen si quid omnino doctrinâ uel ad excitanda ad uirtutem, uel ad confirmanda ingenia proficit, non dubito affirmare, eam ad rem plurimum cōducere hoc doctrinæ genus, de quo loquor. Illud certè negari non potest, ad cæteras artes tractandas requiri hanc doctrinam.

Linguas ad omnes artes tractandas requiri.

n nam.

nam. Nā et Medicina magna ex parte Græca est,  
et sine Philosophia percipi non potest. Et si hi qui  
se dederunt Iuriscōsultis, nō tantum illam formam  
sem Rhetoricā auferre studēt, ut eā ad quæstum cō-  
ferant, sed doctrinā expetunt futurā usui Reip. et  
ut ipsi loquuntur, non simulatam Philosophiam.

His ut potissimum cum decoro tueri personam  
am, profectō etiam alia quadā doctrina opus erit,  
videlicet, religionum scientia, noticia antiqui-  
tatis, eloquentia, et illis literis, quæ cum fontibus  
legum contineant, non minus in consilium adhiberi  
solent de communibus officijs, quā ipse legis.

Prepostera stu-  
dia.

Sed sunt quidam iuuenes, qui cum propter igno-  
riam fugiant discendi laborem, subito irrumperunt  
ad summas professiones, quarum titulos præter-  
eunt suæ ignauiæ. Hi ut iudicio uideantur has ar-  
tes aspernari, hæc nostra studia uituperant. Quod  
siquidē ita libet, fiant sanè Solones meri sine Gram-  
matica, sine Dialectica, sine cognitione religio-  
num, sine eloquētia, sine Philosophia, denique sine  
humanitate ulla. Verū hoc miror, quo ipsi ore  
aspicere legum libros audeant, quarum autores  
paret præclare instructos fuisse his ipsis ar-  
tibus de quibus dicimus. Quā multa ex græcis et  
latinis historijs repetunt? Quā reuerenter assen-  
sunt Homero, quoties eius sententiæ uelut oracula  
la c  
sthe  
dict  
re in  
tem,  
mas  
iuris  
imp  
ipfi

Testimonia Po-  
etarum et Phi-  
losophorum a-  
pud Iuriscō-  
sultos,

la c  
sthe  
dict  
re in  
tem,  
mas  
iuris  
imp  
ipfi  
ut cu  
tuler  
rum c  
literi  
gnare  
orum  
alij bo  
magis  
Suis.  
qua n  
studij  
A  
reser  
adhib  
aut re  
ni nob  
la c

la citant? Alicubi pronunciant ex uerbis Demosthenis, alicubi ad uerbum transcribunt Platonis dicta. Et quidē recētiore Doctores disputāt, ualere in causis Philosophorum ac Poëtarū autoritatem, quia maiorum instituta, moresq; et grauissimas rationes honestorū officiorū, deniq; uim omnē uariis naturalis sapiētissimē describūt. Quæ tandē impudentia est, eas literas contemnere, de quibus ipsi legum cōditores honorificentissimē sentiunt?

Proinde modesta & bona ingenia adhortor, ut cum professionis magnitudinem, ad quam se cōtulerunt, considerabunt, exemplo suorum auctorum cogitent aliquid studij his nostris artibus ac literis impertiendum esse. Cum ceteris nolo pugnare, qui non solum nostra iudicia, sed etiam suorum auctorum exempla aspernātur. Alia enim alij bona ducunt, ut uerē inquit ille: *Ἀνὰ χάριτος παρὰ ἀδυναμίας σολομίζεα, ἀδυναμοὶ δὲ πᾶσα δ' κῦρος.* Nihil isti afficiuntur suauitate earum artium, quas nos miramur, nec nos ab optimarum rerum studijs istorum iudicia abstrahent.

Atq; ita cogitate adolescentes, cum in studijs *Constantia in studiis.* uersemini, constantiam ac fortitudinem uobis etiā adhibendam esse. Neq; enim sine fortitudine, colunt retineri uirtus ulla potest. Quare nō patiamini uobis harum nostrarum artium et linguarum

n ij studia,

studia, prae posteris uulgi atq; indoctorum iudicio  
excuti. Durate, et uosmet rebus seruate secunde.  
Cur enim non utar fortissimi uiri uerbis apud  
Poëtam, praesertim in causa multo maiore? Non  
ille sedes sibi ac socijs querebat: Vestra studia ad  
uniuersam Ecclesiam, & ad omnem posteritatem  
pertinent. Quae autem causa existere maior uis  
potest, quam quae salutem Ecclesiae continet?

Capnio ad Ar-  
gyropyllum  
Romae.

Saepe audiui Capnionem, cum Romam à Poma-  
pe Palatino certi negocij causa missus esset, uenisse  
se in Argyropyli auditorium, qui tunc Roma in  
grana cū laude graecè docebat. Cumq; Capnio rui-  
renter salutato Argyropylo, in cōfessu multorum  
doctissimorum hominum exposuisset ei, se bene-  
nem Germanum incēsum studio Graecarum litera-  
rum, gratulari sibi eam fortunam, quod occasio  
audiendi ipsius cōtigisset, quo illis quidem temp-  
oribus nemo in Philosophia & Graeca lingua do-  
ctior praedicaretur, orassetq; ut sibi audiendi possi-  
statem faceret; delectatus Argyropyllus oratione  
ne Capnionis, cum operam suam benigne pollicen-  
tus esset, interrogat, an attigerit ante Graecum  
ras. Capnio ait, se Basileae in Germania audisse  
gua elementa. Enarrabat autem forte Argyropy-  
llus Thucididem, hunc exhibet illi, ac iubet legere  
deinde etiam interpretari. Cum autem & suam  
ter pro-

ter pronunciaret Capnio (audio enim per studio-  
sum fuisse rectæ pronunciationis) & sententiam  
sic satis latinè redderet, ibi uerò Græcus ille admi-  
rans, conuertit se ad auditores, et exclamans: Ec-  
ce, inquit, Græcia nostro exilio transuolauit al-  
pes. Quod quanquam ille uerè dixit, nam exules  
Græci accenderunt hæc studia apud Latinos: Ta-  
mè nos ita existimare debetis, diuinitus accidisse,  
ne inuisis in Græciam Turcis, ac deleta natione  
Græcorum, lingua etiam intercideret, Ecclesiæ in-  
primis necessaria: Itaq; in has nationes singulari  
Dei beneficio propagata est. Neq; uerò negari po-  
test, plurimum lucis eam attulisse, cum alijs arti-  
bus omnibus, tum etiam sacris literis. Eloquentiæ  
studia mirificè audiuit: Nam sine Græcis auctori-  
bus intelligi Latini scriptores non poterant. Adi-  
tum fecit ad Germanam Philosophiam: Neq; tan-  
tum ad Aristotelem et Græcos Medicos, sed etiam  
ad optimos auctores Mathematicos. Quantum  
enim debemus his qui Eucliden & Ptolomeum la-  
tine uerterunt? In his expoliendis, et hoc toto ge-  
nere artium illustrando, uidemus postea Ioannem  
Regiomontanum ciuem meum, Græcis literis ual-  
de adiutum esse. Et nonnulli nunc quoq; in Germa-  
nia, qui excellunt græcæ linguæ cognitione, stu-  
dium conferunt ad ornandos eius generis aucto-

Exules græci.

Græcæ linguæ  
fructus.

res. Boni uiri sacras literas & amare magis  
tractare purius ceperunt, patefactis fontibus.

Has artes, quas recensui, obruere ac delere  
us fuerit, quam solè è mundo tollere. Neq; uerò  
ne cognitione peregrinarum linguarum retineri  
earum possessio potest. Qua ex re facile iudicari  
potest, linguarum noticiã nõ esse leue aut ualguere  
Dei donũ. Quæ autè impietas, quod scelus est, p  
le donum, cuius usus tã latè patet, aspernari  
uinitus illatum in has nationes rursus explere  
atq; eijcere? Leges publicè atrociter puniunt sac  
legis: At maius sacrilegium est, Ecclesiã spoliare  
linguarũ cognitione, quã aurea aut argentea sp  
pellestibile. Hæc enim cœlestia dona Euangelio  
afferunt, & uerius sunt Ecclesiæ suppellex, quam  
ulla ornãmẽta aurea. Neq; enim dubium est, quã  
ad hæc utilitatẽ Deus Euãgelio addidit donum  
linguarum, ut uocãt, ut ad sacras literas explican  
das cõducant. itaq; sacrilegos istos linguarum  
tẽptores putate in ipsas aras ac templa impet  
ti furoris olim facere, et uastitatẽ atq; exitium  
ligioni et omnibus honestis artibus minari: nec  
bitate quin Deo pœnas daturi sint. Nos uerò  
Deo grati, et erga ecclesiã pij esse studemus, ego  
scamus Dei beneficium, et propter ecclesiæ utilitã  
rem tueamur et cõseruemus. Si quẽ ab his studiis  
hoc de

Sacrilegi lin  
guarum con  
emptores.



hoc deterret, quod non uidentur labori respondere  
 Præmia, is non satis religiose de Deo sentit. Cum e-  
 nim pietati toties ingentia præmia Deus pollicea-  
 tur, non est de eius fide dubitandum. Alicubi promit-  
 tit amplissimos frugum proventus, si populus libe-  
 raliter conferat ad usus necessarios templi. Quare  
 nec nobis præmia defutura sunt, si studia nostra  
 ad Ecclesie utilitatem conferemus. Et est pietas  
 expectantem hæc promissa, Ecclesia utilitatibus  
 consulere. Dixi.

Præmia habet  
 pietas.

ORATIO DE CONCORDIA ET  
 Communicatione studiorum, atque operarum, in  
 promotione Magistrorum, dicta à Decano

Magistro Ambrosio Iuter-  
 bocensi, Anno

M. D. XXXVII.



UM Agesilaum regem Spartarum, Agesilaus equis  
 domi sue cum paruis liberis in ba-  
 culo equitantem deprehendisset  
 cum paruis li-  
 beris,  
 quidam ex Ducibus, casu interue-  
 niens, atque admirans Regem, et qui  
 de talem, quo illa ætate nullus uir præstantior in  
 tota Græcia esse iudicabatur, hoc modo cum pue-  
 ris colludere, petit Agesilaus ueniam ab isto, si-  
 quidem hic ludus uideretur alienus Regia graui-  
 n iij tate.